



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

XXXII. S. Eusebius. Anno Christi. 309. Constantini Imperat. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

*in Concilio Chalcedonensi martyria, id est basilica Martyrum, inter titulos censentur.*

(4) Catabulum erat stabulum animalium, non quidem silvestrium, sed jumentorum, quae publica utilitati ad vehenda onera deservirent, unde Catabulenses hi dicti esse reperiuntur, qui praedicta oneraria jumenta ducabant: Baronius in Martyrolog. Rom. XVII. Kal. Februarii, & in Annalibus ad an. 308. §. 23. Idem est ergo, quod dicitur damnatum esse Marcellum in Catabulum, quod apud Eusebium de aliis quoque traditur, esse destinatos ad alendos equos Imperatorum.

XXXII.

S. EUSEBIUS.

ANNO CHRISTI. 309.

CONSTANTINI IMPERAT. 4.

Bar. ad  
an. 309.  
§. 7.  
Pag. §. 8.

**E**USEBIUS Græcus, Medicus, seu Medici filius. Is Eusebium clari nominis Episcopum Vercellensem Christianæ doctrinæ præceptis imbutum baptizavit, suumque illi nomen imposuit. (1) Narrat id Baronius ad an. 311. §. 42. ex Actis  
ejus-

ejusdem Episcopi Vercellensis, quorum auctoritas parum valet apud Criticos severiores. Sub eodem Pontifice repertam Crucem Domini, tradit auctor Libri Pontificalis. Verum recepta persuasio est, inventam fuisse post Concilium Nicænum Oecumenicum I. ab Helena Constantini matre, per nocturnum visum divinitus admonita. Ex quo apparet, nec illud esse verum, quod legitur apud Gratianum *De Consecrat.* dist. 3. cap. 19. Festum Inventionis S. Crucis V. Nonas Maji ab Ecclesia celebrari ex decreto Eusebii, cum non sub Eusebio, sed sub Silvestro Crux reperta fuerit anno 326. proximo post memoratum Concilium Nicænum. (2) Eusebius diem supremum obiit anno 311. VI. Kal. Octobr. cum per annos duos, menses septem, & dies sexdecim Pontificatum obtinisset. (3)

Bar. an.  
311. §.  
40. 41.  
Pag. §.  
22.

### ANNOTATIONES.

(1) Vide annotat. 5. ad Siricium.

(2) Id pluribus ostendit Baronius ad an. 311. §. 41. ad an. 326. §. 42. & Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 62. & 64. Vide etiam, si placet, nostram Historiam

Fr-

Familiæ sacræ, de Christo Domino cap. 15.

(3) Eusebium *Theodoretus non agnovit sicut nec Marcellum: nam Melchiadem successisse Marcellino affirmat. Verum non nostrates modo, sed etiam transmarini utrumque noverunt, ut Optatus Milevitanus lib. 2. §. 3. & S. Augustinus, epist. 53. alique recentiores omnes: Baronius ad an. 311. §. 42.*

## XXXIII.

S. MELCHIADES.  
ANNO CHRISTI 311.  
CONSTANTINI IMPERAT. 6.

Bar. ad  
an. 311.  
§. 43.  
Pag. 9.  
23.  
Bar. an.  
312. §.  
82.

**M**MELCHIADES, seu Miltiades  
Afer anno 311. V. Nonas  
Octobr. Pontificatum iniit. Hujus  
Pontificis annus alter insignis fuit  
tum pace Ecclesiæ redditâ, operâ  
Magni Constantini, tum Lateranis  
Ædibus ab eodem Imperatore con-  
cessis Melchiadi, tum initio Schis-  
matis Donatistarum, qui Ecclesiam  
concludebant finibus sectæ suæ, bla-  
terantes, eam in aliis Orbis regio-  
nibus defecisse *Traditorum contagio-*  
ne